

Christian Ehrenfried Eschenbach


**Programma Pentecostale, Qvo Ad Celebrandvm Devote Spiritvs Sancti Festvm
Vniversitatis Rostochiensis Cives Honoratissimos Omnes Ac Singvlos Invitat,
Atqve Pvnctvm Medico-Legale, Ad Vvlnera Lethalia Spectans**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1774?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877677700>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1774. Pfingsten.

~~M. 1256.~~ 419.

PROGRAMMA PENTECOSTALE,
QVO
AD CELEBRANDVM
DEVOTE
SPIRITVS SANCTI
FESTVM

VNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
CIVES HONORATISSIMOS OMNES AC SINGVLOS
INVITAT,

ATQVE
PVNCTVM MEDICO-LEGALIF
AD VVLNERA LETHALIA SPECIANS,
BREVI BVSV ILLUSTRAT,
EIVSDEM VNIVERSITATIS
HODIE
RECTOR,
CHRISTIANVS EHRENFRIED ESCHENBACH,
MED. PROF.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

M. 1256 415



PROGRAMMA
AD CLERUM
MEDICINAM legalem, et generatim e disciplina-
rum, medicam scientiam componentium,
difficiliorum esse numero; eiusque ideo non
solum theoreticam cognitionem, sed etiam
practicam, acquirendam solertia indigere
atque industria auctiori: et speciatim, ad
eandem spectans, Caput de *vulneribus lethali-*
bus controuersis premi variis, machaoniae artis cultoribus tam
notum est, quam quod notissimum. Caput hocce; secundum
cujus praecepta, de vita rei aut conseruanda, aut amittenda,
iudici ciuili rationem sententiae ferendae medicus subministrat
forensis; adeo minime deprehenditur in singulis punctis; id
quod ipsi cum qualibet scientia humana est commune; omni-
bus numeris absolutum, vt nulla plane supersint hinc inde ad-
denda, aut potius explicanda fusius, eademque e fide potissi-
mum haurienda vulnerum historiis. Quum igitur Programma
conscribendum munus, quo hodie fungor, requirat; idem-
que thema aliquod breuibus pertractandum simul admittat par-
tim, partim pro more recepto postulet; nec a medico, nisi
medicum quoddam punctum proponendum, exspectari queat:
placet nunc, ad vulnera lethalia referendum thema medico-
legale eligere, et dicti finis, id est, vltioris explicationis ergo,
obseruationem in medium producere laryngis atque oesophagi
vulneris, sectione facti; in genere vulneribus absolute lethali-
bus, nec immerito, adscribi soliti; quod interim, sub certis cir-
cumstantiis, medelae obtemperat, sicque vulnus lethale haud
constituit. Atque hac simul occasione, e *Medicina legali* mea,
nec non e *Commentatione* mea de *vulneribus vtpurimum lethali-*
bus, praemisisse iuuabit, mihi vulnus *absolute lethale* esse id, quod
nullam plane admittit medelam, siue a natura, id est, corporis
viui, sibi relictis, virtute insita praestandam, siue arte chirur-
gica absoluendam; quod ideo morrem ex necessitate accersit;
cuiusque, eam ob causam, sanati, cum vita sauciati superstite,
exemplum fide dignum, ne unicum quidem, in auctoribus nar-
ratum

raturum legitur. Conf. adhuc *Chirurgiae* meae, germanico idiomate in lucem emissae, §. 173.

Vir triginta annos, et quod excurrit, natus, atque melancholico insultu correptus, cultro culinari tracheam sibi rescindebat sic, ut vulnus infimam pomi Adami regionem intrans, oblique descendente tractu aliquali laryngem totum diuideret transversum, excepta ea parte sola, qua mediante cum oesophago connectitur trachea, ac praeterea oesophagum anteriorem medium cultri cuspis vulnuscule aperiret minimo, cum haemorrhagia sequente copiosa; vasa autem colli sanguifera maiora haud villo laederentur modo. Late hians larynx, reclinato capite, optime patebat conspectui, pariter ac oesophagus fauciat; atque proximis ab inflictio vulnere diebus, quicquid potulenti aeger assumebat, pro parte e vulnere externo profluebat. Quin etiam, cum ad extinguendum sitis ardorem, ultimo accedentem, ille, qui primo post sauciationem die nec poterat bibere, nec audebat, citri taleolos, sacharo conspersos, ore teneret, eorumque portiunculam deglutiendi periculum institueret, fibrosae partis, medium taleolum quemlibet occupantis, frustulum postea e vulnere exteriori chirurgus protrahabat, ut ideo hoc quoque oesophagum reuera laesum testaretur. Externi vulneris labia emplastro glutinante coniungebantur; vulnus leni remedio detergente et balsamico perungebatur, quavis occasione data, quoties nimirum emplastri virtutem continuus mador, pro parte a potulentis assumptis illuc delatus, infringebat, sicque recens emplastrum imponendum necessitas postulabat; fascia porro idonea addebatur; ac simul aegroti imperabatur, ut caput continuo antrorsum teneret deflexum, ad coniungendas, hoc etiam modo, ac coniunctas seruandas, laryngis discissi oras. Atque sic, interpositis aliquot septimanis, et non obstantibus circumstantiis accidentalibus, durante medela iunctis, vulnere consolidando noxiis, quas hoc loco referre non vacat, totum vulnus coaluit, aegerque, quoad melancholiam quoque, cum sanitate in gratiam rediit perfecte.

Cum igitur, teste hac obseruatione; cui similem, praeter eam, quam breuissimis narrat ABRAH. TITSINGIUS in *de Heelkonst der Amsterdammers*, Edit. II. pag. 34. huc vsque in aucto-

auctoribus, quos ego quidem peruolui, relatam non inueni; dentur vulnera tracheae et oesophagi, ambas hasce corporis humani partes simul laedentia, eademque sanata; atque istud datae vulnerum lethalium descriptioni contradicat, quibus illa ordinarie, et generatim sumpta, praecunte experientia clinica, annumerantur: *Numne fallitur fallitque medicus forensis, eiusmodi vulnus, post fauciatam mortem secutam, absolute lethale pronuncians? ac consequenter, medicus etiam clinicus, istiusmodi vulnere decumbentem pro apparenter insanabili assumens?*

Laryngis, ipsiusque tracheae, vulneribus, per se spectatis, nec minus oesophagi vulneribus minimis, seorsim consideratis, nomen absolute lethalium haud competere, et auctorum medico-legalium perlustratione apparet, et, iisdem adiudicari non posse, argumentis facile euincitur. Constant namque hae corporis partes e fibris carneis partim, partim membranis atque carrilaginibus, quae singulae fauciae consolidari se patiuntur, quemadmodum non chirurgia modo docet, sed et clinica testatur experientia; praeterea, quamuis situm quodammodo interiorem naetae, chirurgi sanantis manui aditum haud prorsus praeccludunt istae. Quare adhuc eadem partes simul laesae, absolute lethales censendae, qua partes componentes allatas, minime sunt. Excipienda interim, in utroque casu, est illarum tam praecisio totalis, adeoque, quoad tracheam, portionis posterioris siue membranosaes resectio, tempore facta eodem; quam substantiae deperditio notabilior iuncta. Neutrius enim restitutio in medentium potestate est collocata, et corporis viui sibi relictis virtus innata eidem itidem longe impar deprehenditur. Praetereaque de iuncto forte arteriae carotidis et venae iugularis vulnere iam sermo nullatenus est; cum illarum, quoad truncos saltem, laesarum absoluta lethalitas omni careat dubio.

Verum enim vero ipsae partes dictae parili, ac reliquae corporis humani partes, ratione vasis abundant sanguiferis, vniuersam earum substantiam perreptantibus: atque in iis omnibus ac singulis, casu quodam laesis, vasa ista, quoad truncos praesertim, manu chirurgica attingendi, et media applicandi debita, hinc sanandi, possibilitas aut impossibilitas, in determinanda lethalitate, vel absoluta, vel non absoluta seu accidentali,
maximi

maximi est momenti. In singulis namque vasis iis liquor vehitur, cuius circulatio si cesset in corpore, mors adest: mors vero non potest non accedere quoque, quando liquor iste vitalis extra vasa, sicque ad locum fertur, quo ferri non debebat, nec eius effluxus tempestive sistitur. Ac tracheae speciatim proximae adiacent, ad eius latera ascendentes ad laryngem vsque, arteria et vena trachealis; laryngi vero sanguinem advehit arteria laryngea, quae comitem habet venam laryngeam: ex his autem arteriae, hoc loco praeprimis considerandae, diametro gaudent singulae eo, ut inter truncos arteriosos locum obtinerint, ea propter nomina, quibus veniunt, specialia nactae. Arteria praeterea trachealis (quod ipsum adhuc de laryngea valet) vulnere diuisa, quem vehit, sanguinem tracheae infundit fauciae, eamque replendo, respirationem, ad vitam quoque feruandam absolute necessariam, tollit partim; partim eiusdem labia hiantia coire sponte, sicque consolidari, ob sanguinis arteriosi, in arteriarum truncis propulsi, impetum maiorem nesciunt, hinc chirurgia auxiliatrice indigent, toties absolute necessaria, quoties corporis viui facultas innata, siue natura, compescendo sanguinis fluxui haud sufficit.

Iam vero media chirurgica, in cohibendo sanguinis profluxu efficaciora, compressione fortiori et ligatura, non dantur, prouti artis, quae manu medetur, principia declarant: quae ambae tamen faucibus arteriis commemoratis singulis admoueri, tam propter illarum situm, hoc respectu nimis internum aut profundum, nequeunt, quam, quoad laryngeam et trachealem in specie, propter accedentem partium, ad quas spectant, irritabilitatem maiorem. Quare, deficiente auxilio, et sanguinem arteria indefinenter emittit faucia, et tracheae vicinae, itidem vulnere hianti, infundit trachealis praesertim, ad laesum suffocatum vsque. Effectum hunc vltimum, ex necessitate sequentem, adeoque inevitabilem, quamuis ratio satis probet, ipsa adhuc loquitur experientia clinica, quae scilicet docet, huiusmodi vulneratos; quicquid chirurgus, media efficacia dicta applicare impeditus, praeterea molitur; post aliquot horarum decursum, saltem post diem vnum alterumve, sanguine in tracheam, vel lentius paulo, vel citius destillante, suffocatione perire;

rire; quales etiam casus, a me obseruatos, addere possem, si praesentis instituti limites, diffundi eousque, permitterent.

Ramorum contra ea minorum, tam arteriae, quam venae cuiuslibet, nec non venarum maiuscularum, alia est ratio. Earundem nimirum sauciarum, postquam sanguinis profluxus aliquamdiu durauit, extremitates patulae concidunt sponte, sicque haemorrhagiae finem imponunt. Quamobrem ex illarum laesione, periculum mortis tale, quale hucusque expositum prostat, non sequitur.

Accedit, quod aliquando, licet raro admodum, vasorum sanguiferorum, imprimis eorum, quae e vasorum corporis maximorum numero non sunt, trunci solitam haud ingrediantur viam, sed aliorsum desectentes sese, in locis deficient, quos alias et in subiectis tantum non omnibus occupant: quodque interdum, loco trunci arteriae, rami tantummodo, hinc vasa minori diametro praedita, reperiantur: quod tandem corporis pars quaedam, vnus arteriae principalis, et ordinarie praesentis, loco arterias duas, easque, quod fieri aliter nequit, proportionate minores, possideat. Prioris generis exemplum in ipsa quoque Aorta, omnium, quibus gaudet humanum corpus, arteriarum maxima, *Observationum* mearum rariorum prima narrat, ex quo casu, ad reliquas corporis totius arterias, conclusio est facilis; Confer. et *ibid.* Obs. 13. alterius momenti possibilitatem *Observationum* dictarum duodecima testatur: et quoad vltimum, vid. *Anatom. meae* §. 1129. a); quales historiae nec in aliis penitus defunt auctoribus. Impossibile igitur minime est, vt aliquando arteria e. g. trachealis; pari, ac in *Obseru. cit.* adductae arteriae, aorta scilicet et radialis, modo; vel tracheae adeo prope, quemadmodum solet, et in subiectis tantum non omnibus fit, non accumbat, sed consueto longius ab eadem remota, iter suum pergat inceptum; quod trunci locum non nisi minores rami teneant: quod tandem duae potius adsint, aut tres, arteriae tracheales minores, quam vnica maior eiusdem nominis arteria.


Atque sic inuentu haud difficilis est responsio ad quaestiones datas. Quoties nimirum, post laesionem hactenus pertractatam tracheae, eamque aut cum laeso parumper oesophago con-


coniunctam, aut secus, supposita vulneris tractatione, qualem circumstantiae permittunt, debita; quae ipsa circa vulneris deligationem rite faciendam, atque remedii alicuius balsamici applicationem subsistit; sauciatus, tandem suffocatus moritur, proximis a laesione horis, vel diebus; toties hic laesionis exitus indicium praebet, arteriam trachealem consueto et diametro gaudere et situ, quam ob rationem tracheae, sanguine ex arteria saucia destillante repletio, et, quae hanc sequitur, laesi suffocatio, euitari non potuerunt: adeoque vulnus omnino ad vulnera spectat absolute lethalia; et quidem propter haemorrhagiam, nullo modo coercendam, eandemque e situ et constitutione naturali arteriae fluentem, et, tracheam sanguine implendo, laesum ultimato respiratione priuantem. Quoties e contrario trachealis arteria laesionem, propter situm inconsuetum, quoad truncum, non experta est, hinc suffocatio dicta non accessit; sectio vel tracheam diuisit solam, aut laryngem, nec arteriam simul; vel etiam minimo vulnuscule adhuc oesophagum aperuit; quae singula cum, secundum antea allata, medelae obtemperant, si nihilofecius e vita decedat vulneratus, adeoque nec sanguis destillans tracheam repleat tandem, nec totalis tracheae, vel adhuc oesophagi, praecisio adsit, nec substantiae tracheae deperditio notabilior; vulnus ad non-absolute lethalia, seu, quod idem est, ad lethalia per accidens, referri meretur. Atque sic simul in aprico est, vt *medicus forensis* vulnus, de quo agitur, post saucii mortem, aliquot horis aut paucissimis diebus peractis, cum praegressa tracheae a sanguine influente repletionem, accedentem, iure meritoque *absolute lethale* declaret. Nec sententiam euertit obiectio, forsan allata, quod, cum e praecedentibus eluceat, situm arteriae trachealis haud semper esse eundem adeo, vt nulla eius occurrat variatio, concedendum quoque sit, *situm arteriae, generatim sumptum, esse accidentalium*, adeoque et vulnus, arteriae situ consueto obueniens ipso, non esse nisi accidentaliter lethiferum; quoniam idem lethale ne quidem fuisset, si arteria tractum obseruasset insolitum. Quamuis enim concedatur situs arteriae generatim accidentalis, eius tamen laesio, quamcunque viam ingrediatur ipsa, semper erit absolute lethalis: ac in quaestione super lethalitate mota, de vulnere, non de situ arteriae, sermo est. Quod

Quod attinet ad *medicum clinicum*, is quoque non potest non huiusmodi vulnere decumbentem pro apparenter insanabili assumere. Vulnus enim descriptum hocce, simili, ac aliud vulnus quodlibet, modo comitem indiuiduum agnoscit haemorrhagiam, neque ea semper laesum in proximis a laesione horis necat, sed potius aliquando, testibus experientia clinica et auctorum obseruationibus, ad vnum alterumue diem procrastinatur mortis ineuitabilis accessus; praetereaue durante medela, siue temporis hoc modo praeterlabentis spatio durante, num faucii, cuius curam in se suscepit, arteria trachealis, vel etiam laryngea, situ gaudeat consueto, nec ne? eo minus determinare valet, quo minus exactissimam vulneris perscrutationem pars haecce corporis sensibilibior perfert; adeoque, num vulneris externi deligatio eidem toti consolidando sufficiat, ipsum fugit. Quare; cum eiusmodi laesione decumbentes ut plurimum moriantur; singulos hosce, antequam euentus contrarium docet, hinc, mox a curae susceptae initio, pro apparenter insanabiles cum fundamento assumit.

Iam vos alloquor, Academiae nostrae ciues Optimi! admoneoque, ut viuendi rationem, festo durante, quin etiam post-hac semper, tam verbis, quam actionibus vestris, exhibeatis talem, qualis singulos decet non modo christianos, sed etiam, idque praecipue, scientis eruditus imbutos et imbuendos. Argumenta haud addam compluria, eadem, multoties in Programmatibus Rectoralibus repetita, vobis cognita supponens merito. Ecclesia nostra festum, *Sancti Spiritus* gloriosae super Apostolos effusioni sacrum, celebrat; hac occasione, dona summa, quae, illo administrante, et sapientia maxima distribuente, fidelibus DEVS T. O. M. largitur, grata religiosaque mente praedicans. Quicumque igitur, ceu dignum ecclesiae membrum, Spiritum huncce sanctissimum, omni laude nostra longe superiorem, suum quoque confitetur DEVM, atque vitae Rectorem; is sedulo euitabit, ut ne vlllo coepru eundem contrister; quamlibet potius nauabit operam, ut sanctificet animam suam, per obedientiam, diuinis praeceptis praestandam.

P. P. SVB SIGILLO RECTORALI,
I. PENTECOSTES FERIA. 1774.





coniunctam, aut secus, supposita vulneris tractatione, qualem
 circumstantiae permittunt, debita; quae ipsa circa vulneris de-
 ligationem rite faciendam, atque remedii alicuius balsamici ap-
 plicationem subsistit; sauciatus, tandem suffocatus moritur,
 proximis a laesione horis, vel diebus; toties hic laesionis exitus
 indicium praebet, arteriam trachealem consueto et diametro
 gaudere et situ, quam ob rationem tracheae, sanguine ex arte-
 ria faucia destillante repletio, et, quae hanc sequitur, laesi suf-
 focatio, euitari non potuerunt: adeoque vulnus omnino ad vul-
 nera spectat absolute lethalia; et quidem propter haemorrhagi-
 am, nullo modo coercendam, eandemque e situ et constitu-
 tione naturali arteriae fluentem, et, tracheam sanguine imple-
 do, laesum ultimato respiratione priuantem. Quoties e con-
 trario trachealis arteria laesionem, propter situm inconsuetum,
 quoad truncum, non experta est, hinc suffocatio dicta non ac-
 cessit; sectio vel tracheam diuisit solam, aut laryngem, nec arte-
 riam simul; vel etiam minimo vulnuscule adhuc oesophagu-
 m aperuit; quae singula cum, secundum antea allata, medelae
 obtemperant, si nihil secius e vita decedat vulneratus, adeoque
 nec sanguis destillans tracheam repleat tandem, nec totalis tra-
 cheae, vel adhuc oesophagi, praecisio adsit, nec substantiae tra-
 cheae deperditio notabilior; vulnus ad non-absolute lethalia,
 seu, quod idem est, ad lethalia per accidens, referri meretur.
 Atque sic simul in aprico est, vt *medicus forensis* vulnus, de quo
 agitur, post saucii mortem, aliquot horis aut paucissimis diebus
 peractis, cum praegressa tracheae a sanguine influente reple-
 tione, accedentem, iure meritoque *absolute lethale* declaret.
 Nec sententiam evertit obiectio, forsan allata, quod, cum e
 praecedentibus eluceat, situm arteriae trachealis haud semper
 esse eundem adeo, vt nulla eius occurrat variatio, conceden-
 dum quoque sit, *situm arteriae, generatim sumptum, esse accidenta-*
lem, adeoque et vulnus, arteriae situ consueto obueniens ipso,
 non esse nisi accidentaliter lethiferum; quoniam idem lethale
 ne quidem fuisset, si arteria tractum obseruasset insolitum.
 Quamuis enim concedatur situs arteriae generatim accidenta-
 lis, eius tamen laesio, quamcunque viam ingrediatur ipsa, sem-
 per erit absolute lethalis: ac in quaestione super lethalitate mo-
 ta, de vulnere, non de situ arteriae, sermo est.

Quod

